



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Controversiarvm Omnivm Hvivs Ævi Lvthero-Calvinisticarvm Libri Tres

Coppenstein, Johann Andreas

Mogvntiæ, 1627

XIX. Seßio Christi ad Dexteram Dei qualis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35233**

sisimum, & supernacaneum est quarere. Tantummodo in caelo esse credendum est. Non enim fragilitatis est nostrae, caelorum secreta discutere: sed est nostrae Fidei, de Dominici Corporis dignitate sublimia & honesta sapere. Quare & vobis, ait idem in Psal. 85. 122. affectus pietatis esse gradus ascensionis debent. Plura vide in meo Luthero-cal. p. 1. q. 67. 68.

### QVÆSTIO XIX.

*Sessio Christi ad Dexteram Dei qualis?*

#### XLI. ANTICHRISTIANISMVS.

LUTHERANI aiunt. Sedet ad Dexteram Dei. id est. Diuinitatem suam Humanitati communicauit, hoc est, eam Deificauit, vt cum Deo Dea regnet Vbi que & sit.

CALVINISTÆ addunt pro explicatione:

1. Sic creatura esse desit;
2. Attamen sedet in secundo gradu, Vicarius Dei Rex;
3. Erat constrictus, vt nusquam se mouere queat;
4. Sed non diutius, nisi vsque ad extremi iudicij diem.
5. Sique talis in terris degeret, prodesset nemini.

CHRISTVS. Infanda hic multa, & pijs abhorrescenda auribus, & indigna Deo. Verè Iob. 37. de Me & istis: *Super omnes caelos ipse considerat. Tu forsitan, Luthero-caluinista, cum eo fabricatus es caelos? Etiam si locutus fuerit homo, deuorabitur. At nunc non vident lucem. A Deo formidolosus laudatio! Dignè cum inuenire non possumus. Magnus fortitudine, & Iudicio, & Iustitia, & enarrari nõ potest. Ideo timebunt eum viri, & non audebunt contemplari omnes, qui sibi videntur esse sapientes. Nam, Prou. 15.*

*Qui scrutator est. Majestatis, opprimetur à gloria. Raptus in tertium caelum, 2. Cor. 12. vidit & audiuit, quae non licet homini loqui.*

1. Stephanus tamen verè clamauit, Act. 7. *Ecce video caelos apertos, & IESVM stantem à dexteris Dei. Sto, auxiliator agonizantium; Sedeo, Dominator & Iudex omnium: vt bene Ambrosius l. 3. de fide: Christus stat, vt eius Benignitas ostendatur. Sedet, vt eius Autoritas commendetur.*

2. Sicut Isaias, c. 6. prauidit, sic & Michæas, 3. Reg. 22. *Vidi Dominum sedentem super Solium suum, & omnem exercitum caeli assistentem ei à dexteris & à sinistris. Ita Pater meus: Ita & Ego: teste ad Eph. 1. Suscitans illum, me, a mortuis, & constituens ad dexteram suam, in caelestibus super omnem Principatum, & Potestatem, & Virtutem, & Dominationem, & omne Nomen, quod nominatur; non solum in hoc seculo sed & in futuro; & omnia subiecit sub pedibus eius.*

3. Vnde meum folius est proprium sic ibi federe. Hebr. 1. *Ad quem enim Angelorum, (qui tamen creaturarum nobilissimi sunt) dixit aliquando: Sede à Dextris meis: At mihi homini ita meritisimo dixit. Quin etiam, Ibid. Cum introducit Primogenitum, dixit, Vt adorent eum omnes Angeli Dei.*

4. Hinc is, quem diligebam, testatur, Apoc. 5. *Omnes audiui dicentes: Sedenti in Throno, & Agno, Benedictio, & honor, & potestas in secula seculorum. &c. Et ne dubio sit locus, addit. Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem, & Diuinitatè, id est, acceptam in Incarnatione nunc post Ascensionem manifestare. Quae causa*



causa impense precabatur Psaltes. 79. *Qui sedes SUPER Cherubim, manifestare coram Ephraim. &c.*

Totum illud federe meum complexus edixit Aug. l. 2. de Symb. c. 7. *Sedere ad dexteram Patris est: simul cum Patre habere,*

1. *Gloriam Diuinitatis,*
2. *Et Beatitudinis statum.*
3. *Atque Iudiciariam, Regalemque potestatem:*
4. *Et hoc immutabiliter.*

5. Nihilominus tamen, Mat. 25. *Electi stabunt à dexteris. Quin & sedebunt Apoc. 3. Qui vicerit, dabo ei Sedere mecum in Throno; (non ideo tamen Deificandos:) sicut & Ego vici, & homo non Deificatus, Sedi cum Patre meo in Throno eius. Ita promisi, Luc. 22. Vt sedeat super thronos, iudicantes XII. tribus Israel. Quocirca, Col. 3. Quae sursum sunt, quarite: ubi Christus est in Dextera Dei sedens.*

6. Denique, Act. 1. *Sicut vidistis eum eunte in caelum, sic veniet, Homo Deus Christus IESVS heri & hodie, & in saecula Deus: Hebr. 13. Et quidem necessitate voluntatis propriae, non vlla coactionis Act. 3. Necessè est, usque ad tempus restitutionis omnium, in caelo permanere: scilicet, Pl. 109. Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum, occiso Antichristo. Neque ita permanere necessè est, vt nunquam me commouere queam; descendendo etiam in terras fidelibus in τῶν ἀγῶν ἐπιπέσσω, in escam & potum. Quin, 1. Cor. 15. Nouissime autem visus est & mihi, testatur Apostolus, corporali visione & praesentia. Cui meus ideo Legatus Ananias dixit: Deus praordinauit te, vt Videres Iustum, & audires vocem ex ore eius. 1.*

Cor. 9. *Nonne IESVM Dominum nostrum vidisti? Et iterum in Templo Ierofolymis assistens ei, monui: Act. 22. & 23. Constans esto. Sic Petro apparui Romae, percunctanti: Domine, quo vadis? teste Ambr. ep. 32. &c. Item & Polycarpò, dicens: Paratus sum iterum pro hominibus saluandis pati: teste Dionysio ep. 8. &c. Vide Bayum l. 1. Inst. Christianarum ca. 252. Vide & meum *Luthero. cal. p. 1. q. 69.**

## QVÆSTIO XX.

*An Christus Iudex sit omnium, & Caput Angelorum?*

### XLII. ANTICHRISTIANISMVS.

**L**UTHERANIS Iudex is, quem scelerum peragunt omnium reum?

CALVINIANIS multò minus; praesertim Caluino pronuncianti: *Qui Christum per merita consecutum existimant, vt Iudex sit mundi; Temerarij sunt. Vide in meo Luthero-caluin. p. 1. q. 70.*

**CHRISTVS.** Ego dixi, Ioan. 5. *Pater non iudicat quemquam; sed omne iudicium dedit Filio; vt omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem.*

Et id quidem qua Deus sum vnus cum Patre & Spiritu S. verum etiam qua Homo factus sum, adieci: *Et potestatem dedit ei Iudicium facere, Quia Filius Hominis est.* Non quidem propter conditionem naturae humanae, aduertit Aug. tract. 19. in Ioan. sic enim omnes homines parem eam potestatem habent: Sed meo proprio merito: teste Iob. 36. *Causa quasi impij iudicata est; iudicium causamque recipies.*

2. Dixi etiam Mat. 24. *Tunc parebit signum Filij hominis in caelo, & plangent, & videbunt Filium hominis venientem in nubibus caeli cum virtute multa & Majestate.*

C. 2.

3. Dixi.